

Pulegium tomentosum Bocc. adhibita omni vi oculorum, licet flores in aqua calida maceraverim, non potui extricare.

Hallerus perfricte negat Tuam observationem de varietatibus Cinerariae alpinae in Actis Helveticis . sed obscurus est, mihi videtur multum verisimile, et nescio quam varietatem vellet imprimis eximere.

Vidi Crantzii Floram, qui rumpitur ira in me, qui contra eum nil peccavi. Omnes facile docti habent hoc a natura vitii, quod quum prima tyrocinia deposuerunt, credunt se scire omnia, et plura quam ullus alius videre, postquam vero solidiores facti, redeunt sensim ad se ipsos, cum deferbuerit petulca adolescentia scientiae.

Vale et vive felix.

Dabam Upsaliae 1765, d. 12. Julii.

34.

Viro Illustri DD. Nic. Jacquinio s. pl. d. Car. von Linné.

Cum proximo mense e typo exeat primus tomus systematis naturae editionis 12^{mae} et hanc Tibi V. S. prae reliquis debeam, rogo mihi indices cui hunc tradam, ut ad Te deferatur, et simul videas quod caste enarraverim ea quae mecum communicasti de Avibus. Alter tomus de plantis mox prelum subeat, et si quid habeas quod moneas, oro tempore jubeas. Tradam in eo corollarium cum 40 novis generibus et 500 speciebus a me antea non dictis, simulque assumam Tua, quae omisi in speciebus. Si descripsisti Rhamnum siculum Bocc. et istum edidisti, quaeso communices, ut illum nominem.

Calophyllum Tuum procul dubio distinctum est genus a Calophyllo Indiae orientalis, cui et Calyx et Corolla est